De

Parotitide.

Dissertatio inauguralis

Auctore

ANTONIO KOCH,

medicinae, chirurgiae et artis obstetriciae Doctore

Eisenhutensi - Bavaro.

Monachii 1838.

Typis Matthaei Poessenbacherii.

Benefactoribus suis optimis,

Plurimum venerando perillustri,

Doctissimo atque experientissimo

Viro ac Domino

Joanni Georgio Sinzinger,

Decano et Parocho in Hoeslwang,

suo Praeceptori primo,

Plurimum venerando perillustri,

Doctissimo atque experientissimo

Viro ac Domino

Thomae Froeschl,

Parocho in Endorf,

atque

Perillustri, praenobili atque perdocto

Viro ac Domino

Michaeli Aurbach,

Regialis Ministerii intimi Secretario

hasce litterarum primitias grati animi Documentum

dedicat

Auctor.

DE

PAROTITIDE.

Morbi denominatio et definitio.

Parotitis (von παρά bey, und οὖς, ὠτός das Ohr) Cynanche parotidea, angina parotidea, inflammatio parotidis, Bauernwetzel, Tölpelkrankheit, mumps, interdum etiam sub nomine Kehlsucht, est morbus, qui se manifestat tumore tenso parotidis unius vel utriusque, haud raro etiam omnium glandularum salivalium cum accedente febri. Sedes tamen hujusce morbi magis in tela cellulosa et subtilibus vasorum filis eas glandulas proxime circumjacentibus esse videtur, quam in glandulae constructione ipsa, quam opinionem ex eo fulcire puto, quia excretio salivae parum turbatur, et quia, si morbus in suppurationem transit, non glandulae substantia ipsa, sed tantum tela cellulosa in glandulae superficie affecta animadvertitur.

Descriptio morbi.

Morbus, de quo sermo est, formis diversissimis apparet, modo lenis, brevis et sine incommodo magno, modo difficilis et periculosus.

Prodromi hujusce morbi soliti sunt:

Affectiones catarrhales, horripilatio, lassitudo doloresque artuum, nausea cum vomituritione et injucunditate quadam, quam aeger exprimere nequit, et sensus formicationis in spina dorsi. Dein sequitur motus difficilis, quin et immobilitas maxillae inferioris cum sensu obstaculi in uno vel utroque articulationis puncto, quo masticationis motus voluntarii vel impediuntur, vel omnino auferuntur. Accedunt cephalalgia, et dolores cervicem et extremitates prementes. Oculi sanguinolenti et flebiles, pectus et praecordia oppressa, respiratio exinde difficilis. Appetitus depravatus et nullus, eo major autem sitis. Alvus obstipata, haud raro etiam regularis, lotium contra pallidum et crudum. Brevi intumescunt partes, quas minus flexibiles senserat aeger, tumor parotidis augetur, vicinamque cutem simul cum tela cellulosa occupat. Interdum vero primum glandulae maxillares tumescunt, et quidem ita, ut die tertio glandulae plerumque salivales telaque proxime adjacens cellulosa tumore extendantur, quod si in utraque faciei parte accidit, tunc caput fit ingens, symptomata urgent, et deglutio impeditur. Omni in facie inflammatio erysipelatosa diffunditur, tumor praecipue pone aures ad parotidem et maxillam ad adtactum durus. Accedit febris saepe lenis, plerumque fortis catarrhali non dissimilis, quae interdum jam ante tumorem adest, interdum una cum illo venit, interdum illum sequitur. In casibus lenioribus vix febris animadvertitur, et aeger operibus suis potest incumbere. Febris plerumque continua remittens, sub vespere exacerbata, gravius urgens etiam duplicata, saepe unum vel duos, saepe plures explens dies.

Exitus morbi.

Exit morbus vel in sanitatem, vel in mortem, vel forma ejus mutatur.

Si lenis est morbus, nec nimis vehementia sunt symptomata, debito quoque regimine observato die quarto sudor pone aures incipiens animadvertitur. Dispergitur jucundus passim toto in corpore calor, transpiratio ubique restituitur, inflammatio erysipelatosa partium tumescentium desinit, lotium criticum nonnunquam etiam epistaxis copiosa, praesertim in subjectis juvenilibus, intrat salutaris, febris omnino cèssat, tumor die septimo vel nono, vel decimo quarto evanescit, et ita finitur morbus.

Praeterea subsecuta demum vehemente diarrhoea aegrum minime debilitante, sed potius adjuvante tumorem pariter concidisse, sanitatemque esse restitutam, sunt, qui observaverint.

Successus autem hujusce morbi frequentissimus in eo est, ut parotidis aliarumque glandularum tumore primo vel altero die, vel etiam serius subito concidente testiculi, et quidem unus vel uterque intumescant, prouti antea vel unum vel utrumque faciei latus intumuerat. Quo fit, ut etiam tumeat scrotum, dolores excitet, rubroque induatur dolore, sed et unus vel ambo testes inflammatione corripiantur. Mirum est, tumorem a parte faciei in eandem testis partem transire, deindeque redire in faciem, quam vicissitudinem febris vehementia major comitatur.

Foeminae parotidis tumore subito collabente doloribus lumborum pubisque arripiuntur, quasi appro-

pinquarent menses. Revera nonnunquam menses se insistunt, sed multo ocius, et dum non fluunt, pruritum vehementem in regione pubis sentiunt. Tumescunt genitalia, imprimis labia majora, interdum etiam mammae vel ovaria, quos tamen tumores nemo unquam in suppurationem transire percepit.

Observatum est etiam, tumore glandularum evanescente vehementes capitis dolores esse consecutos cum vertigine, delirio, vomitu, ut paucis dicam, omnibus cum symptomatibus, ex quibus haud difficulter est intelligendum, cerebrum esse affectum.

Altera est observatio, viros et foeminas tumore subito abeunte vomituritione saepius et vomitu per plures dies insistente affici; quo in casu severe distinguendum est, num haec phaenomena in initio, vel in decursu, vel ad morbi finem surrexerint. Quae si ab initio morbi observamus, morbos praecipue exanthematicos comitari solent, praesertimque infantes vexant. Quodsi autem in morbi decursu se insistunt, maximi sunt ponderis, et celerrima opus erit medela. Ad finem morbi plerumque fontem in stomacho nimis onerato habent atque in diaeta neglecta.

Anasarca et est orta, qualis post febrim scarlatinam, gravi cum respiratione febrique vehemente. Quare Protolongus hunc morbum morbis exanthematicis posse adnumerari existimavit.

Praesto sunt denique exempla, ubi tumore recedente metastases ad pulmones observatae sunt. Oritur tussis sicca et vehemens, aeger est raucus, respi-

ratione compressus et anxius, et conatu tussiendi sanguinem secundarie ejiciens.

Ceterum denique morbi exitus, suppuratio nimia, gangraena, ut etiam neglectione perversaque medela transmutatio in ulcera et fistulas hectica febri mortem provocare possunt.

Aetiologia.

Est hujus morbi natura, ut prius non oriatur, quam mutata admosphaera, et existente quadam corporis receptivitate. Homines plerumque ab annis pubertatis usque ad annum tricesimum amat ingredi praesertim viros; sunt tamen exempla, sed rarissima, homines, hanc aetatem praetervectos, hoc morbo affectos esse. Homines natu majores tam raro hoc morbo corrumpi, hoc fortasse causa esse posset, quod seniorum in cute vasa minus irritabilia, ideoque minus atmosphaerae mutationibus moveantur, praesertim cum etiam eas morbum generantes potentias diligentius evitare soleant. Non deest etiam observatio, corpore fortes et laboribus exercitos, praesertim milites, parotitide esse correptos, cujus causa esse posset, quod motibus et laboribus vasa cutanea magis excitentur, et ita potentiarum externe impugnantium recessus facilius fieri possit.

Quod nonnulli authores contendunt, ejus morbi sub calidiore, in Italia superiore, Helvetia, et in Gallia meridionali, et in iis praecipue terris, quae mari adjacent, fixiorem esse sedem, res non est mira, praeterea quod regiones littorales frequentioribus tempestatis mutationibus sunt expositae.

Aëris mutationes ad hunc morbum procreandum multa conferre, ex eo quoque perspicuum est, quoniam veri, tempestatum vicibus creberrimo plerumque saevit, quamquam hiemi aliisque anni temporibus penitus non sit incognitus.

Facillime in hunc morbum reconvalescentes, temperamenti cholerici, jam admodum incitabiles et colli tumoribus saepius vexati incurrunt.

Quamquam autem, hunc morbum epidemice saepe dominari, plurimorum optimorumque Authorum, qui de ea materia scripserunt, comprobata adsint testimonia, iis tamen, qui parotitidis originem in miasmate vel contagio quodam quaerunt, assentire non audeo. Quodsi enim morbus proflueret ex materia specifica contagiosa vel miasmatica, quid erat, cur non omnes, qui illam cum aëre earundem regionum respirando recipiebant, eodem vel laborarent malo, vel magnas in organismo per materiam heterogeneam, nec respirabilem organismoque infensam confectas perciperent mutationes?

Lubentius sequor illos, qui parotitidem ex nocivis potentiis, morbos quoque alios exanthematicos proferentibus nasci dicunt; nam saepius parotitidem epidemicam morbilli, petechiae, variolae et febris scarlatina epidemice et antecesserunt, et secuta sunt. Quae sane multae tamque variae ejus morbi formae non existerent, si ex materia specifica venisset morbus.

Causam proximam asseri, sicuti metastases in hoc morbo explicari crebriores certe non posse, mihi per-

suasum habeo. Telae cellulosae nervorumque consensum praecipue nervi sympathetici ad phaenomenon hoc mirum quam plurimum conferre, vero simillime puto. At qui sit consensus iste, hucusque non lucide clareque patet.

Diagnosis.

Quamquam morbus saepius jam dictus, dum epidemice grassatur, vel si medico eum in incunabulis perscrutari contigerit, facile forsan diagnosci possit; difficilioris tamen, ubi sero medicus vocatur, ubi complicatus est morbus, ubi sporadicus, ubi epidemice coepit saevire laboris sane res est diagnosis. Haud aegre tamen a similibus glandularum tumoribus discernet, qui causas antecedentes, naturam aegroti, morbi decursum praesentemque statum diligentissime indagarit.

1. Struma nil unquam erit, nisi ipsius glandulae thyreoidaeae tumor, quem colli latera non participant. Tumor glandulae thyreoidaeae plerumque est malum locale, quin corporis ulla adsit aegritudo. Attamen quoque observatum est, non solum glandulam thyreoidaeam, sed et colli latera tumere, corpusque fuisse cachecticum. A struma etiam ex eo dignoscenda est parotitis, quod struma nimis per longum tempus durat, quin symptomata parotitidis provocet, et quod ad aurem usque non ascendit.

2. Bronchocele tumor ab initio potissimum mobilis, squamosus, digito cedens prementi; telae cellulosae aër, aliudve fluidum inesse videtur. Broncho-

cele commune quamquam cum parotitide habeat, quod eadem celeritate proveniat, hinc tamen utraque differt, quod illa excitetur causis mechanicis, haec vero tumorem cum morbo universali conjunctum amet.

3. Scrofulae haud subito apparent. Proprius corporis habitus, tumor labii superioris, affectio glandularum Maibomiarum, et pronata inde ophtalmia his casibus propria, caput ingens, oculus lassus, cutis pallida certa scrofulorum sunt auguria.

Prognosis.

Prognosis hujusce morbi ex historia est sistenda; in gradibus lenioribus fausta, metastasibus ad genitalia factis dubia, metastasibus autem ad cerebrum, ventriculum vel pulmones periculosa et infausta. Magni momenti etiam semper est pronitas ad anasarcam.

Si pueri puellaeque hoc corripiuntur morbo, leniter plerumque procedit, benigneque exit, quod non aeque in adultis viginti annorum ad annos quadraginta evenit, quos vehementius hic morbus adgreditur.

Quem aegrotum quinto sextove die videris ex tumidis pone aurem partibus, et passim toto ex corpore sudare, diarrhoea affici, frequens excernere lotium, copiosum ex naribus emittere sanguinem, desinente insuper febre cum tumore considente, is celeris benignique exitus exspectatione gaudet.

Sin autem tumor parotidis diebus, quibus ortus est, primis, subito evanescit, et tunc si testiculi intu-

mescant, inflammati rubescant et doleant, merito dubium de fausto morbi exitu sollicitudoque nos affligat necesse est, quoniam testiculi diu inflammati in suppurationem abeunt, et testiculi pars glandulosa omnino evanescit.

Tumore autem testiculorum evanescente, transpiratione exigua et partiali, febre vehementia crescente, aegroto inquiete lecto jacente, evenientibus ad alias partes metastasibus blandisque deliriis mors facile sequitur.

Infaustus similiter exitus, quando metastasis pulmones tendit. Ejusdem periculi sunt metastases ventriculum versus. In mammas foeminarum si cedit tumor, sine magno periculo morbus largo illarum partium sudore tollitur.

Anasarca ad finem hujusce morbi, sicuti et aliorum morborum exanthematicorum observata debito regimine evanescit, nullumque infert periculum.

Quando tumor parotidis septimum perdurat diem, quin minuatur, si transpiratio universalis non augetur, sed deficit omnino vel partialis est, si uno loco tumor est altior, inflammatio ruborque major, si sub vespere febris exacerbat, tumor in suppurationem transit. Aegrotus si praeterea est scrofulosus, maligna nascuntur ulcera, quae mortem saepe inducunt.

Therapia.

Parotitis pro diversitate individui et diversum induit characterem, quam ob rem inutile foret, summae-

que dementiae indicium, unicam nonnisi medendi methodum pro cunctis hujus morbi formis statuendi. Vehementia morbi semper in ratione est directa cum subjecto potentiisque nocentibus, quae et solummodo legitimam determinant medelam.

Diathesis sthenica raro hunc morbum comitatur. Sin autem adsit, partes affectae maxime sunt inflammatae, tensae et dolentes, pulsus durus et plenus, sitis ingens, cutis cum lingua sicca, arrida, urens. Venae sectio hic et universalis et topica (hirudinibus post aures applicatis) est instituenda; porrigantur medicamina antiphlogistica, nitrum praesertim in tali dosi, ut non diarrhoea promoveatur, cremor tartari et tartarus solubilis, adhibeantur clysmata debilitantia; aeger copiosa capiat potulenta aquosa; regimen sit refrigerans.

Quam medelam antisthenicam autem nimis diu noli continuare, ne directa inducatur asthenia. Darwinus frigidas in partes affectas laudat fomentationes.

Indolis asthenicae si sit morbus, respiciendum est, num asthenia sit directa, an indirecta, quae species debilitatis nonnisi quo ad originem a semet ipsis sunt diversae; haec enim inducitur hypersthenia, illa vero imminuatione incitamentorum. In debilitate indirecta, incitantia majoris momenti porrigas, minoris vero in directa. Hic autem symptomata haud sunt negligenda. Si itaque incitamentorum imminutio non sit magna, morbi decursus lenis, febris haud vehemens, functionum laesio non valde adaucta, leniter incitantia impendes. Regimen modice calidum, tumoris flanella obductio, ut actio atmosphaerae impediatur, infusum her-

bae melissae vel sambuci plerumque jam sufficiunt ad morbum sex vel septem intra dies removendum. Partium affectarum dolore cataplasmata ex semine lini, vel floribus sambuci, vel malvis cum lacte coctis panis rata possunt applicari, ubi tamen cura geratur, ne humidis fomentationibus frigefactis refrigerium aegro contrahatur. Et sicci herbarum sacculi camphorae quid continentes, calide superpositi quam maxime prosunt.

Asthenia si sit exaltata non solum facies intumescit, sed complicata exoriuntur symptomata, quae auxilium poscunt promptum, remediaque fortiora, quae magis sint volatilia, quaequae pro partibus affectis seligantur.

Testiculi tumidi suffulciantur praeprimis suspensorio, scrotoque imponantur vesicatoria. Interne copiosa porrige aegro potulenta calida, spiritum Mindereri, antimonialia, pulverem Doveri, tartarum emeticum vel radicem Ipecacuanhae in dosi refracta.

Sin scroti tumore perdito in partibus antea obsessis tumor reproducatur, vesicantia et rubefacientia ad partes hasce applicentur.

Cerebro affecto sinapismi imponantur plantae pedis. Interne praescribantur stimuli diffusibiles, v. g. Liquor anodynus mineralis Hofmanni, Naphtha vitrioli, Camphora, Moschus, aqua cinamomi vel Menthae piperitae, infusum Valerianae sylvestris vel florum Arnicae, radix Ipecacuanhae in refracta dosi. Quibus clysmata adhuc accedunt ex infuso florum Chamomillae vel Valeriannae cum liquore andoyno minerali Hofmanni. Darvinus quoque in hoc casu fomentationes calidas ad caput tonsum magnopere laudat.

Symptomata dum metastaseos ad thoracem cognoveris, tumorem et in regione parotidis et in scroto illico regenerari, allaborabis, ubi vesicantia ac rubefacientia semper omnium potissimum prosunt. Interne porrigantur remedia supra recensita.

Phaenomena metastaseos ad ventriculum cum appareant, v. g. motus ejus convulsivi, vomitus etc. potio Riveri conducere dicitur; utilitatis majoris sunt cetera medicamina volatilia, v. g. infusum Menthae piperitae, liq. anod. min. Hofmanni, Opium, paucis medicamina saepius jam memorata. Externe in regione epigastrica fomentationes ex vino calido aromatico fiant; balnea tepida non minoris sunt efficaciae.

Tumor si in suppurationem tendit, cataplasmata impendantur; abscessus facta maturatione aperiatur, tumque regulae ulcerum observentur.

Tumorem induratum inunge unguento Neapolitano, spiritu salis ammoniaci, linimento volatili camphorato, Naphtha vitrioli. Usus internus Calomelanis cum sulphure antimonii aurato valde efficax.

Anasarca adorta refrigerium fugiatur, et regimen calidum observetur.

Metastases dum adparent, saepissime valde exaltata est debilitas, et reconvalescentia maxime retardatur; roborantia ideoque et nutrientia diu continuentur; porrigatur cortex peruvianus, vinum generosum cum carne assata, atque coelo sereno et calido aeger perambulet.
